

na, aeterna et plane ineffabilis, ubi eadem natura, quae est ex se simpliciter independens, tota ab aeterno a Patre communicatur Filio, idque necessario. Unde solum est relatio inter Patrem et Filium sine ulla dependentia in essendo, ubi tantum prioritas ordinis est, non autem essentiae aut potestatis.

### §. IX.

Tanto igitur *Sanguini* tanti *Filii DEI IESU CHRISTI* Apostolus stupendum adscribit effectum, nempe emundationem ab omni peccato, καθείζεις inquit: ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας. Supponit haec Phrasis omnimodam in nobis impuritatem, quae sollicitam purgationem et eluuiem requirere solet. Illa proinde aliquanto curatius nobis inspicienda venit, antequam ad ipsam purgationem pergatur. Et quidem ipsum peccatum, de quo postea, subinnuit Apostolus hanc esse immunditiam. Certe DEUS initio hominem rectum Eccl. VII, 30. et purissimum condidit, ab omni impuritatis labe liberrimum, *ut purus et rectus esset* (Iob. VIII, 6.) *ut purus esset sine defectione, et nitidus, nec iniquitas sit in ipso* (C. XXXIII, 9.) non externe tantum sed et interiori mentis affectu, Matth. V, 8. ut salva veritate dicere potuerit: *Purificaui animum meum, mundus sum a peccato.* Prou. XX, 9. Veluti enim DEUS ipse purissimus est, ita et tales nos esse voluit, I Ioh. III, 3. utpote qui non ad impuritatem sed ad sanctificationem nos vocauit, I Thess. IV, 7. Verum haec mundities, haec integritas homini concreta in impurissimum proh dolor! squalorem transiit, dum per primum peccatum Adamus et semetipsum et omnes nos, quotquot in lumbis ipsius eramus foedissime conspurcauit, de quo conqueritur Eliphaz Iob. XV, 14. 15. 16. *Quid est mortalis, ut mundus sit? et iustus sit, quid natus muliere? En sanctis suis non crediturus esset firmitatem: et coelites non sunt mundi in oculis eius: quanto magis abominabilis et foetidus est Vir imbibens ut aquam, iniquitatem?* Praeter quod dictum et alia im-

prom-